

*dico vobis, nisi conversi fueritis & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum caelorum, ita enim scribit Part. IV. pag. 102. & 430: Ziel wissen thut gantz nichts zur Sache/ wir müssen werden als Kinder/ die nichts wissen/ und sich nur von Gott lehren/ leiten/ regieren und führen lassen. Sed contextus docet, nullo modo hæc accommodari posse ad ea, quæ in vero ecclesiæ ministro requiruntur. Respondet illis verbis Servator noster ad quæstionem a discipulis propositam: quis maximus est in regno caelorum? Quare discipulorum ambitionem repressurus, parvulum adductum sistit in medio & gravissimis verbis asseverat: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & fiatis ut pueruli &c. Simplicitas est quasi propria parvulorum virtus, quæ quidem efficit, ut non efferant se præ aliis, nec alios præ se contemnant. Hanc simplicitatem Christus commendat discipulis. Neutiquam vero incitiam & ignorantiam eorum eos vult imitari. Docet hoc Paulus I. Cor. XIV, 20. disertis verbis: fratres, ne estote pueri prudentia. In uno saltem tertio sequi eos vult infantes, scilicet in humilitate, absque elato spiritu & eminentiæ affectatione, neutiquam vero in incitia.*

§. XVI. Præcipuum alias Fanaticæ causæ suæ patrocinium quærunt in verbis Pauli Rom. VIII. 7. *φρονημα τῆς σαρκος est inimicitia adversus Deum.* Et eruditionem esse contra Deum epistolarum autor edocere vult Part. III. pag. 81. ubi eruditos vocat *ανομοι*, und Antichristen/ & Part. IV. p. 304: Soll Christus im Gedächtniß leben/ muß alles Wissen weg/ Dagon und die  
die